



Frenckells tryckeri arrenderade sedan universitets tid i Åbo ett privilegium som gav ensamrätt på allt akademiskt tryck. När universitet flyttades till Helsingfors år 1828 öppnade J. C. Frenckell & son sin huvudofficin där.

3 DISSERTATIO ACADEMICA ABSOLUTISMUM SYSTEMATIS HEGELIANI DEFENSURA

— Non ac si ipsemet Divina aliquando passus sim, aut tale aliquid mihi arrogare velim, vel concedi posse sperem; sed tantum accipi me volo velut indicem, qui ipse semper prae foribus manens, aliis, quo iter ingrediendum sit, ostendit.

Cornelius Agrippa.

10

Dubitationes quasdam, contra Systema philosophicum *Hegeli* motas, examinaturi, e re esse putavimus, brevem praemittere hujusce Systematis delineationem; quae cum praecaveat, ne critica nostra instituenda perverse intelligatur, innuat etiam qualitercunque, nosmet aliquo nostro jure opus grave aggressos esse. Cum vero et natura rei et ratio hujusce opusculi prohibeat, ne demonstratione utamur pleniore, consilio nostro satisfaciet, modo sit expositio nostra perspicua satis et ipsi Systemati consentanea. Enitemur igitur, ut L. B. via Psychologica ad umbilicum Systematis perducamus, exinde partes ejusdem diversas perlustraturi.

20

§. 1.

Philosophorum plurimi, naturam animae humanae investigantes, etsi a notione illius omnem materiei suspicionem amandare conati sint, ideoque eandem et unam et spiritum posuerint, tamen, in limites finiti relapsi, statuerunt: animam esse *vel Summam*¹ quasi facultatum, cognoscitivae nempe, appetitivae etc., *vel Substratum*,² cui quodammodo affixae inhaerent facultates illae. Si vero animam Summam vel Substratum facultatum rationalium esse concipimus, notionem *rei* eidem tribuimus, positione illa ambiquam *rei* rationem innuente. Nam *res*, etsi per *qualitates* tantum *res* sit, tamen differt a *qualitate* quacunque. Qualitates rursus, in *re* existentes, etiam a *re* sejungi possunt, libera gaudent existentia. Res ita ideale aliquid evadit, formale, in qua, veluti *forma*, qualitates uti materiae sui similes existunt. Evanescit ita *res*, per se existens, caduca fit, Phaenomenon. At hae ipsae *materiae formam* illam efficiunt. Si enim *formam* examineris, nihil praeter *materiam* invenies. Conficitur *illa* relatione materiae externa, *haec* materiae est perseitas. Materia ita, in formam abiens, duplicem praebet sui considerandi rationem. *Vel Substantialis* est, in formis diversis una, eadem persistens, vel *Accidental*, modus existendi varius, diversa manifestationis forma. His ad notionem animae relatis, est eadem *Summa* facultatum, nam facultates *una* exstant. Facultates vero in alia quavis anima vigent. Facultas ex. gr. cognoscitiva cuique animae propria est. Unde *Substratum* esse ponitur anima, facultatibus suppositum. Cum porro facultatum rationalium nunc haec prodeat, nunc illa, ceteras omnes subinde excludens, anima, uti cogitans, *forma* habenda est cogitationis manifestandae. At haec anima, haec forma cogitandi tantum eo est, quod ceteras cogitationis *formas* excludat, neget. Attamen cogitatio in quavis forma eadem manet, sui similis, *Substantialis*³, semet ipsam autem sibi opponendo formalis fit, *Accidens*, certus existentiae modus.

30

40

¹ *Aristoteles*, Tenneman Gesch. d. Philos. Th. III. pag. 183.

² *Kant*, nam est Anima, que ipsa impervestigabilis facultates tantum cognoscendas offerat, tale Substratum.

³ Hanc inter animam et facultates relationem docuerunt: *Plotinus Tenn. Th. VI. pag. 181 seqq.*, *Augustinus* et *Leibnitz Tenn. Th. XI. pag. 141.* Cfr. *Rianer Handb. d. G. d. Phil. et Med. Real-Wörterbuch v. Pierer u. Coulant, Artic. Psychologie.*

50

Illo nomine conditio est, hoc nomine conditionatum; est *causa Sui*. *Substantia* vero jam supponit *Accidentia*, his enim negatis oritur; ipsa, uti *causa*, supponit semet ipsam, uti *effectum*. *Effectus* ita quasi *causa* est ipsius *causae*, haec ipsa *effectus*¹. Mutua est haecce positio et suppositio. *Causa* in *effectum* abiens se ipsam efficit, *effectus* eo *effectus* est, quod per *causam* efficiatur. Pro certo ponas, ejusmodi relationem interesse inter cogitationem et animam. Fac porro cogitationem esse *Absolutum*, animam *Intelligentiam* finitam. Illud in hac manifestatum esse cogites, non uti *causam*, a manifestatione, prout effectu disjunctam, sed uti in *Intelligentiis* finitis totum *immanens*, ipsum semet ipsum in his manifestans, unicum *esse* in his habens, ita ut aliter nec *esse* nec concipi possit. Cogitatione denique depingas *Absolutum*, non *actu* manifestatum, attamen *potentia* unitatem *Sui* et manifestationis efficiens, uti vim absolutam semetipsum manifestandi. Quae hinc redundat notio, *Conceptum Hegelium* vocat, negationem absolutam.

§. 2.

Conceptum jam concipiamus uti vim, *Potestatemve* (*Möglichkeit*) semetipsum manifestandi. *Potestas* autem jam supponit *Realitatem* (*Wirklichkeit*). Haec ita est potestas ipsius *potestatis*, illa hujus *realitas*. Eaedem sunt. Utraque positio necessaria est, veritas et unitas earum *Necessitas*. Libertatis vero et necessitatis repugnantia cum eandem illam sistat oppositionem potestatis et realitatis, *Conceptus* etiam ponendus est vera *Libertas*, unitas libertatis et necessitatis, sibi invicem repugnantium. *Conceptus* porro, uti *necessitas* semet manifestandi, jam quasi antitypus est manifestationis suae et in se recessus; aliis verbis: ejusdem est natura haecce manifestatio, hic recessus. Implicitam hanc *Conceptus* evolutionem, quam sistit *Logica*, paucis exponamus.

Conceptus est cogitatio pura. Omnem igitur rejicit $\tau\omicron\upsilon$ *Esse* et cogitationis repugnantiam. Fugit vero $\tau\omicron$ *esse* determinationes cogitationis et per processum sempiternum definitionibus cogitationis, ut ab *Hegelio* vocatur, male-infinitum (*das Ding an sich*) opponit. Infinitum vero, uti finitum oppositum, negatio est finiti, ideoque determinatum. Tollitur ita $\tau\omicron$ *esse*, cogitationi oppositum, et quidem cogitando in cogitationem tollitur, a cogitatione determinatur. Verum enim vero $\tau\omicron$ *esse*, uti negatio cogitationi supposita, rursus neganda, apparitionis induit speciem, in qua manifesta fit cogitatio, *Essentiam* apparitionis efficiens. *Substantia* *essentiam* sistit, qua talem, in accidentibus uti apparitione, $\tau\tilde{\omega}$ *esse* negato, manifestam. In notionem vero *causae* transgressa, positionem illam ($\tau\omicron\upsilon$ *esse* apparentis) suppositionem (*Essentiae* cogitationis) necessariam esse docet². Sensus itaque evolutionis est: *Essentiam*, e $\tau\tilde{\omega}$ *Esse* abstracto explicatam, nihilo tamen minus principium *esse* ipsius $\tau\omicron\upsilon$ *Esse*, atque *Conceptum*, ut qui hac conficitur suppositione et positione mutua, principium movens *esse* et *Essentiae* et $\tau\omicron\upsilon$ *Esse*. Haec in *Logica* exponuntur *Objectiva*, sic dicta, quoniam quasi extra *Conceptum* positus est processus,

¹ Subjungenda est haec observatio, subsequenibus lucem adpersura. *Substantia* in *modos* abiens determinatur. Nam est *modus* quisque ceteris determinatus existentiae modis. *Modus* ita abalienatio est *Substantiae*, ut quae indeterminata est. Unde illud *Spinozae*: »Omnis determinatio negatio«. Ad id vero respicientes, quod jam supponat *Substantia modos*, nos non fugit illam horum *esse* negationem. *Substantia* ita explicata, *negatio* igitur est *negationis*, *affirmatio*. Hac ipsa affirmatione *modus* positio vera est *Substantiae*, in abalienatione sua se ipsam recuperantis. Hac eadem *Substantia*, qua talis, est, in quocunque *modo* immanens. Hac utique re differt *Hegelius* e *Spinoza*.

² Vide supra.

supra adumbratus, progrediturque a $\tau\tilde{\omega}$ Esse ad Essentiam, quarum rerum illa *cogitati*, haec *cogitationis* partes agit. Hinc Conceptus usurpatur *cogitatio pura*.

At Conceptus etiam unitas est *cogitantis* et *cogitationis*. Hoc in Logica proponitur Subjectiva, ita nominata, quoniam omnis jam positio positio est ipsius Conceptus. Quam ob rem haecce Logices pars ipsum actum creationis sistere existimetur. Cogitatio (*das Denken*) vulgo abstractio esse ponitur, cogitationes (*die Gedanken*) conceptiis abstracti. Heic vero relinquenda est via abstractionis. Immo abstractio ipsa determinationes rejiciens, easdem negat, hac itaque negatione ipsa determinatur. Sunt vero determinationes jam negationes, in quibus negandis posita est abstractio. Hac negatione Conceptus revera determinationes negationes Sui esse negat¹. Enim vero cogitationis porro est, $\tau\omega$ Esse, determinando, Universale reddere. Conceptus ita, in determinatione quavis sui similis persistens, ipse *Universale* est. At cum determinationem jam supponat, disjunctio est Sui a semet ipso, *Particulare*. Ut porro Sui determinationem negans, *Singulare* est, negatio absoluta². Ac est sane Universale negatio determinationis eadem, in Singularem autem, qua tale, existit. Jam etiam Singulare, uti determinatum, *Particulare* est. Hoc idem in omni *Judicio positum* est. At abstracta est haec unitas, nam *Judicium* positio est vel manifestatio Conceptus, uti *Particularis*. In hac Sui determinatione nondum totus positus est Conceptus. In Subjecto existentiam habet Praedicatum, hoc ideale est, illud reale; ex altera vero parte omnis realitas Subjecti in Praedicato sita est, hoc reale, essentiale est, illud ideale. In *Syllogismo* vero totus prodit *Conceptus* et quidem manifeste in Syllogismo Disjunctivo, ubi cum totum particularium, Universale, tum Particulare, tum particularia excludens, Singulare esse enunciatur. Est ita Syllogismus positio vel manifestatio Conceptus, uti *Singularis*. Per *Judicium* igitur determinatur Conceptus, in sua momenta dirimitur, in Syllogismo haec determinatio, per seitas momentorum, negatur et tollitur, conceptu quodlibet momentum equiparante³. In Syllogismo porro suam prae se habet naturam, sibi objicitur, *Objectum* fit. Hinc modo notio oritur *Subjecti*, i. e. cogitantis⁴. Ut vero in *Judicio* Conceptus partes agit nexus interni, sic in *Objecto*, uti *causa finalis*, auctor est semet ipsum e tris Objectivitatis liberandi. Hanc igitur Sui negationem, notionem Objecti, negat Conceptus, in causa finali semet ipsum recuperans, Objectum tollit, Sui conscius fit, unitas Subjecti et Objecti, cogitantis et cogitationis, *Idea*, sensu eminentiori *cogitatio pura*.

§. 3.

Haec ad Absolutum referamus, simul partium Systematis, de quo quaeri-

¹ Ita facultas cognoscitiva (*das Denken*) abstractio est, cogitationibus determinatis relictis orta. Cogitationibus communis est illa, at id ipsum excludit, quo differt quaevis cogitatio a ceteris cogitationibus; his igitur negatis oritur. Supponit ita abstractio illa determinationes i. e. negationes, negandas. Est porro determinata quaevis cogitatio talis determinationum negatio, nam notae characteristicae negationes sunt alius cujusdam cogitationis. Hinc universale illud (*das Denken*) cogitationi cuique immanet. Cogitatio tamen determinata Illius jam est negatio, qua negata ceterae sunt cogitationes.

² Vide Not. 4.

³ Conceptus cuiusque abstractus per Synthesin oriri dicitur, notas quasdam in unitatem redigendo. Notas vero connectens, decretum facit, iudicium; immo has consentientes, illas repugnantes esse pronuntians, concludit. Jam igitur et iudicium et Syllogismum supponit conceptus. Heic habes Thesin, Antithesin et Synthesin *Fichtii*.

⁴ Cnfr. in fine hujusce opusculi allata.

tur, relationem mutuam illustraturi. Absolutum, quo Sui conscium fiat, sibi objiciatur necesse est. Necessitatem hujusce manifestationis Logica explanat Subjectiva. Proxime autem in expositione Conceptus Subjectivi quaerenda est. Credas nempe Objectivitatem illam Judicium esse Absoluti, Ideam Syllogismum. Determinatio enim Absoluti creatio est et Sui manifestatio¹. Objectivitas vero, manifestatio, jam suppositio est, qua negata est Absolutum, semet manifestans. Hoc in Logica Objectiva expositum invenies.

10 Absolutum sui conscium *Intelligentia est Absoluta*. Haec est unitas *Intelligentiae Subjectivae*, libertatis, et *Objectivae*, necessitatis manifestae, mundi existentis, Subjecto oppositi. Efficitur haec unitas eo, quod Subjectum Objectivitatem rationi congruam, per se bonam, vere liberam esse agnoscat, ipsumque, libere parendo, Subjectivitatem alienando, liberum fiat. *Intelligentia* vero evadit *Objectiva* in *Naturam* operando, hanc subjugando. Ponit ita *Intelligentia* *Naturam* esse apparitionem. At eandem etiam supponit, *Naturam* concipiendo *Naturam* sibi opponit. Est igitur *Natura*, uti supposita, manifestatio Absoluti proxima, abalienatio Absoluti, *negatio prima*. In organismo et vita prodit *Intelligentia*, negatio illius negationis, *Naturae* in se persistentis. Hinc *intelligentia* manifestatio est Absoluti vera, et, suppositione illa in positionem mutata, *Absoluta* *Intelligentia*, Absolutum Sui conscium. Haec in *Philosophia Naturae* et *Intelligentiae* tractantur.

20 Illa vero Absoluti con-scientia *Idea* est, cujus facit Logica expositionem. Adeo in se reflectitur Systema. Absolutumque his tribus conficitur: *Idea* semet manifestante: *Idea*, in *Natura manifestata* et *Intelligentia*: *Idea*, uti *Intelligentia*, sui conscia, unitate manifestantis et manifestae. Hinc *Idea est Absolutum*.

§. 4.

30 Quae ultimo loco aequae ac in fine §. I:mae; afferre ausi sumus, sponte ad oppositionem, in Systema Philosophicum Hegelii factam, longe, ut nobis videtur, primariam perducunt: *Cogitationem nempe humanam cum Divina cogitatione*, in hoc Systemate, commutatam esse, aliis verbis: falso duas hasce equiparari assertiones, *Deum cogitando concipi* et *Deum cogitationem esse*². Ad haec sequentia: aut ab homine concipi potest Deus aut non potest. Si illud, at cogitando certe concipitur. Si hoc, at tamen concipitur. Determinatio enim est Absoluti *to* non potest concipi, et quidem cogitando determinata. Quidquid nempe cogitare non possis, id ipsum cogitari non posse cogitas. Est igitur Absolutum, si omnino sit, cogitatione determinatum. Atqui aut determinatio Absolutum efficit, aut Absolutum determinationem. Certe hoc? Utrumque. Nam supponit Absolutum determinationem, aliter enim recurrit illud: Quid tandem est, quod non cogites? ut etiam determinatio Absolutum, quippe quae aliter nec determinatio esset, nec ullo esset pacto. Sensus mutuae hujusce suppositionis est: Absolutum non nisi in determinationibus, h. e. in cogitatione determinata, manifestari, existentiam habere; abstractionis esse Absolutum illud, determinationibus oppositum; in his *manens* Absolutum esse se ipsum

50 ¹ Hinc strictior oritur Subjecti notio. Est nimirum Subjectum cogitatio finita. Nam *Cogitans* est, cui, cogitanti, externum est, quod cogitat, *cogitatum*. Haec vero utraque *cogitatione* mera, veluti medio quodam cohaerent. Neque in alterutro quidquam est, nisi quod in cogitatione inveniatur. Unitas eorum haec est et veritas, hanc illa manifestam faciunt.

² Vide: *Gottl. Benj. Jäsche, Der Pantheismus 3:er B., Allheit u. Absolutheit. Berlin 1832, pag. 301 seqq. C. H. Weisse Üb. d. gegenwärtigen Standpunkt d. philosophischen Wissenschaft. Lpzg. 1829. pag. 255 seqq.*

manifestans, sui conscium. Ast vero ea ipsa est natura cogitationis, quod in determinationibus tantum existentiam habeat. Aequali igitur sunt natura Absolutum et cogitatio, i. e. Absolutum (cogitatione determinatum) cogitatio est¹. Non tamen cogitatio determinata, sed cogitatio, in cogitatione determinata manifesta. Quae probe sunt distinguenda. Homo ideo, Deum cogitans, determinatio est Absoluti; attamen non Absolutum, Absolutum vero in homine.

Sic tota rerum natura, si opus divinum habenda sit, cum in cogitationem humanam cadat, sincere et vere cogitata, determinationes sistit Absoluti, et quidem meditante, h. e. medium agente homine — Quaecunque porro afferantur vel de Absoluto per fidem concipiendo, vel de conceptu Absoluti Symbolico, sunt Assertiones plus minus obscurae atque abstrusae. Sic illa perversa nititur animi humani notione, iuxta-positionem facultatum amplectente, haec Absolutum ad infinitum quantitativum detru- dit, quod, finito oppositum, eidem illi inter cogitare et non cogitare adhaeret differentiae.

Datur vero refugium quo sese conferat intellectus abstractus, finitis implicitus; Formalem hancce unitatem vocitat², notiones tantum Subjecti et Objecti conciliantem. Praeberet ita unitas, supra allata, Absoluti et cogitationis, unitatem tantum notionum, extra quas et Absolutum et cogitatio posita essent. Credideris forsitan qui talia asseverant, innuisse saltem, qua quaerenda sint vel haec vel illud. Frustra operam conteres. »Die Fülle des Seyns in der Natur« — heic habes Objectum, quod e cogitatione mera ne Deus quidem eliciat! — Verum enim vero parvi operis est colligere, distinctionem illam Absolutum inter et notionem Absoluti, eundem praebere Dualismum Absoluti et cogitationis, de quo supra locuti sumus. Quae eadem est ratio formae atque materiae mutua, si determinationes hasce e putamine abstractionis enucleaveris. Affirmant ipsi illi Formalistae, cogitationem formam esse materiae omnino necessariam, etsi haec internum quoddam sit vel externum, a forma alienum. Illa vero quoniam necessaria eademque semper manet, hac semper variabili, evanescente, in contrarium vertitur suppositio, forma materiae, materia formae speciem induit. Nam materiam efficit, quidquid in rebus immutabile sit, formam, quae in iisdem variabilia sint et caduca, vicissitudines materiae. Operae pretium non erit ulterius progredi, quo ad identitatem perveniamus absolutam, objiciet enim Formalista »at haec sunt notiones tantum formae atque materiae«. — Argumentationem igitur ad hominem periclitemur. — Cogitatio si forma sit necessaria, mansura, materia cogitationis inconstans et caduca, Absolutum etiam uti cogitatum, Objectum absolutum, inconstans est et caducum. Forsan Objectum cogitationis esse nequit, quod puta cogitari non fas sit? Sin vero nihilo secius cogitatur, quid ultra? At notio lapidis lapis non est, etenim nec apparet nec sentitur. An igitur Absolutum ejusdem est naturae? Hoc reapse in Absoluto requirit Formalista, determinationibusque magis spiritualibus immiscens, *Personalitatem* usurpat.

¹ Objiciat quis Deum ita Ens mere theoreticum esse. Observandum vero est cogitationem et voluntatem alteram altera nunquam destitutam esse. De qua re discrete et luculenter J. M. Sundvall in spesimine Academico, 1832 edito, *Praenotiones Problematis, quo potuerit modo homo a Deo desciscere, ipsamque Problematis Solutionem* sistente.

² *Jäsche* pag. 309. Weisse in libro cit. passim et in libello *Über das Verhältniss des Publikums zur Philosophie etc.* Lzg. 1832 pag. 36 seqq. 47 seqq. Notasse tantum patitur locus controversiam, qua semet implicuit W., cum, Principii Identitatis abstractae vanitatem perspicuens, eidem ab *Hegelio* expletiquem tributam esse agnoscat, attamen eadem principium illud vanitate laborare putet.

§. 5.

Persona quid? »*Ens liberum sui conscium*». Subest certe huic definitioni Kantiana illa »*Jedes Vernunftige Wesen*»¹. Cui innixus *Jäsche*² Absolutum, quatenus ab Hegelio exponitur, Personam non esse contendit. Nam, inquit, libertas deest necessario in manifestationem abeunti. Necessitas vero libertati reluctatur³. Unde colligere licet, liberum arbitrium in Absoluto requiri, Subjectivitatem illam, lapsum hominis efficientem. De quibus infra. Porro ipsam manifestationem Personalitati obsistere affirmat. Nullo nimirum pacto Persona habeatur Absolutum, quod nunquam per se, totum, sed per processum sempiternum existat⁴. Cui thesi adnectitur calumnia Pantheismi, trita jam et usitatissima⁵.

Nemo certe, vel leviter Systema Hegelii percontatus non facile didicit, cum acerrime processui infinito adversari, quin etiam finitum et infinitum, finito oppositum, pro finitis habere. Nec sane altos res habet recessus. Nam finitum, cur est finitum? Fine, limite circumscribitur. Limes ille quinam? Infinitum. Hoc num limite caret? Minime gentium, nam per finitum limitatur. Quod vero finibus circumscribitur, finitum est — Est igitur infinitum finitum. At, cum infinitum sit quod extra finitum positum est, sequitur, finitum infinitum esse. Est vero finitum. Non datur igitur *infinitum*? Datur, nam haec limitatio ipsa infinita, vel potius *Infinitum* est. Missum facias male-infinitum, finito oppositum, infinitum sequaris, in finitione manifestum, *infinitum*, quia *in finito*. Hinc patet notionem temporis, etsi momentum necessarium, tamen, quoad Absolutum, esse rejiciendam. Nam oritur tempus in finito et infinito, sibi invicem oppisitis. Quibus sublatis, tempus tollitur. Est igitur Absolutum in tempore, tempore tollendo. Tempus negatio est Absoluti vel determinatio, qua negata prodit Absolutum.

At ipsa determinatio ea est, quam personalitati officere putant. Cur vero hominem personam esse statuis; etenim uti cogitans, nunc haec cogitatio homo est, nunc illa? Cogitationes, inquis, hominis non sunt personae. Intelligentia igitur finita, si cogitatio quasi Absoluti esse concipiatur, persona haberi non potest. Nimirum hic latet ulcus. Proinde adversaris personalitati Absoluti, in determinatione sui semet manifestantis. Hoc fere niteris Syllogismo: si creaturae sit existentia negativa, tollenda, sequitur hominem, utpote creatum, eadem esse natura. Quae Thesis omnem tollit libertatem⁶. Cum vero determinata sit cogitatio humana, nec possit homo sui conscius esse, nisi definite cogitans, appetens et sic porro, hoc ipsum doceat, hominem eo tantum personam esse, quod semet ipsum, ipsimum alienet quasi, nunc in hac nunc in illa re existens. Sic etiam perseitate Deo alienanda, Subjectivitate in Absoluto demergenda quasi, Persona fit. Atqui est Subjectivitas illa liberum arbitrium supra citatum,

¹ *Metaphysik der Sitten*, pag. 65. — *Krug Practische Philosophie, Rechtslehre*, pag. 58, »Subject der Freyheit, Selbstzweck. (*Ens αυτότελεες*)» et *Weisse Üb. d. gegenw. Standpunkt etc.* pag. 226, »Die lebendige Wirklichkeit u. *Selbstheit* des Absoluten Geistes».

² in libro cit. pag. 319 seqq. 326.

³ l. c. et pag. 364. Cfr. *Weisse l. c.* pag. 147, 148, 185, 186 et prae ceteris 143, locus vix ac ne vix quidem Philosopho dignus.

⁴ In l. c. pag. 326 seqq. Cfr. pag. 194, 270, 204 seqq. et 307.

⁵ *Jäsche* passim. Cfr. *Weisse Üb. d. Verhättn. etc.* pag. 35. — In his discrepant adversatores nostri. Nam queritur *Jäsche* Absolutum ab Hegelio in limites finiti detrudi, *Weisse* omnia in loco et tempore posita cogitationi praeferet, quin notiones loci et temporis formam efficere affirmat omnium, quae cogitari possint. De hujusce effatis pauca infra allaturi, assertiones illius, sensui vulgari magis consentaneas, heic examinare conabimur.

⁶ Cfr. *Weisse Üb. d. Verhältniss etc.* pag. 48 — *Jäsche*. pag. 367.

libertas subjectiva, qua subacta, libertas gignitur vera, objectiva, necessitati non contraria. Materialismi vero est ea in Absoluto requirere, quae existentiam finiti efficiant, in quibus sita est natura hominis finita, materialitas materiei. — Si vel dicas Absolutum in se, absque creatione, sui conscium esse, eo ipso jam creationem tollis, negas i. e. creationem, prout determinationem Absoluti negativam, negandam statuis. Est igitur Absolutum sui conscium, creationem, sui negationem negando. Est liber eo, quod creationem, sui manifestationem necessariam tollat i. e. necessitatem ejusdem, quoad libertati reluctetur, neget, liberam reddat. Persona ita est, Deus.

10

§. 6.

At hanc finiti negationem non admittere, obtrektoribus Systematis maxime curae est. Naturam abalienationem, negationem Absoluti esse audientes, via abstractionis Absolutum extra naturam positum esse fingunt. Hinc promptum est effatum, naturam fortuitam esse¹. Parum expedit dixisse: naturam naturae in eo positam esse, quod, uti negatio Absoluti, rursus negetur atque in Absolutum tollatur, necessariumque eandem esse momentum, [movimentum, quoad Absolutum liberam positionem], per quod (qua negata) sui conscium fiat Absolutum. Recurrit usque doctrina, supra memorata, de libertate Dei in actu creationis, de materia in se persistente illiusque prae cogitatione praevalentia.

20

Sic *Weissius*, Systematis ex ipso Systemate evertendi periculum faciens, ad id praesertim incubuit, ut naturae prae cogitatione priores tribuat partes². Cui rei inserviturus, notiones loci et temporis logicae vindicare studet. Et quidem (vix crederes!) apicem omnis cogitationis easdem efficere docet, his fere nixus argumentis: *to* non esse loci et temporis cogitari non posse; quae res eadem firmatur demonstratione, qua contrarium firmavit *Zeno*³: per locum atque tempus esse immediatum *Idea*e confici; quod idem *Hegelius* naturae tribuit, in loco et tempore versanti. Hinc jam concluditur, Naturae, ut quae altior sit *idea*e gradus (potentiam citare amant), aliquid inesse cogitationi alienum, extra eandem positum, ad quod haec uti potestas tantum illius semet referret — *materiam* puta⁴. Sufficet forsan, cum ratio operis prolixiorem vetat demonstrationem, inuisse, qua via in crassam hanc *Weissius* abierit doctrinam. Aberravit vero *primo*: omittingo, notiones loci et temporis jam sub notione quantitatis in Logica tractatas esse, ideoque ad *to esse* immediatum, evanescens pertinere; *secundo*, committendo: Conceptum jam, priusquam in objectum transierit [potius, etsi non Objectum], Subjectivum esse statuens⁵. Hinc illae lacrymae! Nam exinde orta est perversa potestatis et realitatis explicandae ratio⁶, exinde libertatis notio supra citata, inde *Hegelio* vitio data repugnantia in natura definienda et enodanda⁷, inde nisus naturam ad congruentiam cum notione *Essentiae* logica redigendi irritus⁸, inde abstrusa partium ceterarum Systematis dispositio, inde denique Formalismus et Materialismus, absolutum intra limites finiti, loci et temporis co-

30

40

¹ *Jäsche* pag. 313 seqq., *Weisse* Üb. d. g. Standpunkt etc. pag. 127 seqq. — Premit ille firmiter hinc mundum, illinc Absolutum. Cogitatio intermedia est, nec hoc, nec illum attingere valens.

² Üb. d. gegenw. Standpunkt pag. 122 seqq.

³ *Ritter*, Gesch. d. Philosophie Hamb. 1829.

⁴ *Weisse* l. c. pag. 169.

⁵ l. c. pag. 76, 86, 94.

⁶ pag. 131.

⁷ pag. 140 seqq. Attendas inprimis ad pag. 174 allata!

⁸ pag. 167 seqq.

50

gens.

- Ad haec probanda naturam tantum conceptus consideremus oportet. Hic, cum in uno identitas sit et oppositio, in se habet diremptionem, particularitatem (*die Besonderheit*). Universale est, quod particularia ponit. Attamen uti ponens, particularia jam supponit. Est ita ab his positum. Non est, quo hinc temet conferas. Est autem haec positio ipsa et suppositio particularitas. Conceptus ita totus Particulare, et sane se ipsum, uti Universale, sibi, uti Particulari, opponendo. Qua oppositione etiam Universale est. Eadem est ratio *Subjecti* atque *Objecti*. Nam *Objectum*, quae
10 tale, suppositio est, existentia Conceptus externa, proxima. Sed, uti abalienatio Conceptus propria, positio est, *causa finalis* ad effectum perducta. Est ita *Objectum* veritas *Subjecti*; attamen eo ipso *Subjectum* est, quod externum sit, *Subjecto* oppositum. Causa finalis effecta, rursus *medium* est, qua negata prodit haec ipsa causa. Duplex ita est ratio *Subjecti* et *Objecti*; nam *Subjecto* opponitur *Objectum*, at etiam totum *Subjectum* est. *Subjectum* illo respectu negatio prima est, hoc respectu negatio negationis. Est vere *Subjectivum*, unitas *Subjecti* et *Objecti*, *Idea*. Haec eadem ratio est *Absoluti* per se (*Idae*) et manifestationis.
- 20 His subsistamus. Levia forsant sunt in medium proposita. Sin vero, L. L. B. B., vestrum quis, nosmet disciplinam, omnium facile subtilissimam, non ad verba edidicisse, sed in veritate retegenda occupatos fuisse putet, votis laetantes fruemur.